

HISTORIA

„ tur. Obstet in oppositum eadem Constitutio
„ Regis signata anno ejus XXXI. cum evocatio
„ Episcoporum in Fredegario assignetur anno
„ XXXII. Verum fieri potuisse censui, ut Fre-
„ degarius vel in Chronologia hic, ut saepe
„ alias, erraverit, vel mendum in ejus textum
„ irreperitur.

Concilium Remense habitum est anno DCXXIV. sub Sonnatio Remensi Archiepiscopo cum aliis quadraginta, vel amplius, Galliarum Episcopis, ubi etiam Sanctus Arnulphus Metensum Presul intervenitur interfuisse, ait Flodoardus lib. 2. cap. 7. In hoc Concilio conditi sunt viginti quinque Canones, qui antiquam redolent Ecclesiae disciplinam, & doctissimis Notis fuerunt illustrati a Carolo Cointio Tomo 2. Annalium Ecclesiae Francorum.

Concilium Nannetense circa annum DCXL. coactum est, eique interfuerunt Galliarum Praesestam Austriz, quam Neustria & Burgundia. In eo de disciplina Ecclesiastica viginti conditi sunt Canones, de quibus legendi sunt Flodoardus lib. 2. cap. 7. & Sirmondus in Collectione, quam publici juris fecit, Conciliorum Galliz.

Concilium Cabilonense sub Clodoveo II. regnante, ut in ejus Præfatione legitur, convocatum est octavo Kalendas Novembris anni circiter DCXL. in eo plurima ad mores spectantia, & ad disciplinam Ecclesiae conservandam utiliter sancita sunt. Extant hanc in rem Canones XX. cum Notis Sirmondi, & cum Epistola illius Concilii ad Theodoreum Arelatense Episcopum, qui tum publicam penitentiam ob publica peccata agebat; quem Baronius corrupto exemplari usus, Theodorum appellat. Subscripterunt huic Concilio undequinquaginta Episcopi, & ab Episcopis directi Abbates quinque cum uno Archidiacono. Canones illius Concilii Notis illustravit Carolus Cointius Tomo tertio Annalium Ecclesiae Francorum ad an. DCXLIV. ad quem istius Concilii Epocham retulit. Hoc Concilium Cabilonense est ordine secundum, nam an. DCXI. habitum est Concilium Cabilonense primum, in quo Desiderius Vienensis Episcopus, instigante Brunehilde Regina, depositus est, ut videre est apud Carolum Cointium ad an. DCII. Tomo II. Annalium Ecclesiae Francorum (a).

(a) Cabilonensis Concilii epocham ego in eodem supplemento figendam censui an. 644. Huic enim Hadoindus Cenomanensis per alium interfuit & subscriptis, ejus vero Hadoindi vitam usque ad initia Clodovei author Gelforum Cenomanensem prorogat; & supremæ ejusdem Episcopi tabula ab eodem authore productæ sanguant anno V. Clotarii, nempe 643., ex quo fit, ut vitam non diu post illum annum prorogaverit. Igitur verosimiliter anno sequenti 644. Synodus Cabilonensis est habita, cum eius Canones signentur die VIII. Kal. Novembris, quæ tunc in feriam secundam incidit, atque ea feria ex veteri more Concilia incepit.

Concilium Augustodunense circa an. DCXLIII. (de tempore enim haud satis convenit) habitum est in Burgundia a Leodegario Augustodunen-

si Episcopo. Canones, qui in eo conditi fuerunt, magna ex parte desperdi sunt, aliquot tamen publicavit Sirmondus, ut videre est in Collectione Conciliorum Galliz. Carolus etiam Cointius Tomo tertio Annal. Ecclesiaz Francorum ad annum DCXLIII. Canones illius Concilii, qui Monasticam præcipue spectant disciplinam inferuit, Notisque suis dilucidavit. In uno ex Canonibus istius Concilii prima fit mentio Symboli fidei sub nomine Sancti Athanasi, quod sic incipit: Qui cumque vult salvis esse, &c. Sed nunc convenit inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum Sancti Athanasi nomine inscriptum, non esse genuinum illius factum. Ex alio ejusdem Concilii Canone intelligimus Leodegarium Augustodunensem Episcopum vehementer optasse, ut in Cœnobio suis Diocesanos nulla Regula Monastica, præter Benedictinam, vigeret (b).

(b) De Concilio hoc Augustodunensi nonnulla differunt in meis ad Pagium annotationibus ad annum 663. & alia etiam adjeci in Supplemento Conciliorum tom. I. pag. 495. Admonui ibidem Mabillonum ex Codice Cibildensi ad Canones hujus Concilii dedita variantes sic. In Can. XV. ubi editi legunt: Quidquid Canonicus ordo vel regula S. Benedicti &c. MS. fert: Canonum ordo vel &c. Ibidem pariter editi habent: in communione & Missa; MS. vero in communione & mensa. Ceterum suspicatus sum hanc Synodum, cuius Canones vulgo adscripti sunt S. Leodegario, ab ea diversam esse, cuius meminit Theodoricus Rex in suo Diplomate apud Mabillonum, de quo Pagius ad an. 677. 678. Diploma enim illud signatur anno Theodorici V., qui in annum 677. & 678. incidit. Hanc enim eandem esse crediderim cum Synodo habita in Villa Regia, de qua Ursinus in vita S. Leodegarii, eidemque non interfuisse virum illum sanctum morbo impeditum testatur. Quomodo enim Canones Concilii, cui ille non adstitit, illi tamen tribuerentur? Demum Concilio Eduensi, quod idem est ac Altisiodorensis, Canonem alium adscribit Burchardus, qui inter Canones Augustodunenses non repertur. Sanctur in eo, ut si quis forte ex ministris altaris crimen aliquid venereum commiserit, maneat a suo ministerio suspensus ad arbitrium Episcopi, sed nunquam ad altiora transferatur. Si vero iterum redierit ad vomitum, & dignitate officii careat, & ad sanctam communionem nonnisi in exitu admittatur.

D. Quot Concilia Nationalia pro reformatione morum, & Disciplina Ecclesiastica restauratione in Hispaniis, septimo saeculo fuerunt celebrata?

M. Bene multa Concilia Nationalia septimo saeculo in Hispaniis habita sunt pro Disciplina Ecclesiastica, quæ vitio temporum collapsa erat, novis legibus adstringenda, quæ hic ordine Chronologico, quantum fieri poterit, tibi exhibebos. Primum Concilium, quod in Hispaniis septimo saeculo fait convocatum, est Hispanense secundum, non solum pro negotiis Ecclesiasticis, sed etiam con-

ECCLESIASTICA.

contra Acephalos negantes duas in Christo naturas in una Divina persona, tempore Sisebuti Hispaniarum Regis, sub Isidoro Metropolitanus inditum. Illius Concilii Epoche magnis tenebris circumsepta est, quia in eo nullus temporis character exprimitur. Hinc alii illud habitum suisse, putant anno DCXVII. Alii anno DCXVIII. Alii anno DCXIX. Extant hujus Concilii Acta cum Capitulo de negotiis Ecclesiasticis, & adversus Acephalorum Heresim tredecim, Garsie Loaisa Notis illustrata Concil. tom. v. & apud Cardinalis d' Aguirre tomo secundo Concil. Hispaniæ (a).

(a) Ad hoc Hispanense II. Concilium ego in meo Conciliorum supplemento referendam censui legem illam Sisebuti Regis adversus eos, qui mancipia Christiana Iudeis servire permisent. Is enim mos in Hispania obtinebat, ut Regum leges de rebus ad mores pertinentibus occasione Conciliorum juxta Canones in Conciliis illis stabilitos darentur, ut ex Concilio Toletano sub Gundemaro intelligimus. Labbeus quidem ad marginem provocat ad canonom IXv. Concili Toletani; cum tamen Concilium illud Toletanum sub Sisenando convenerit; melius utique ad Canonom aliquem Hispanensis hujus sub eodem Sisebuto lex illa referetur.

Sequuntur postea quatuordecim Concilia Toletana in Hispania septimo Ecclesia saeculo habita. Octo-decim enim numerantur Concilia Toletana. De tribus prioribus, quorum primum celebratum est anno CCC. Alterum Anno DCXXXI. Tertium anno DLXXXIX. satis superque jam egimus in praecedentibus Colloquiis. Quatuordecim, quæ sequuntur Concilia Toletana, & quæ saeculo septimo habita sunt, hic breviter referemus. Ultimum vero Concilium Toletanum, seu decimum octavum, recensebimus agendo de Conciliis Nationalibus, quæ octavo Ecclesia saeculo in Occidente congregata fuerunt. Concilium itaque Toletanum IV. convocatum est anno Domini sexcentesimo vicequo quarto, Sisenandi Hispaniarum Regis anno tertio. Ei præfuit Sanctus Isidorus Hispanensis Episcopus, & interfuerunt septuaginta Episcopi, (a) qui septuaginta quinque constituerunt Canones pro fide, & disciplina utilissimos, qui leguntur cum Notis Garsie Loaisa Concil. tom. v. & apud Cardinalis d' Aguirre tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum quintum indictum est sub Chintila Rege Hispaniarum anno 636. Ei præfuit Eugenius Episcopus Toletanus, novemque de rebus Ecclesiasticis editi sunt Canones, qui extant cum Notis Garsie Loaisa Concil. tom. v. & apud Cardinalis d' Aguirre tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum sextum habitum est anno DCXXXVIII. cui interfuerunt quinquaginta duo Episcopi, & in eo circa Ecclesia disciplinam novemdecim constituti sunt Canones, quos Notis illustrarunt Garsie Loaisa Concil. tom. V. & Cardinalis d' Aguirre tom. II. Concil. Hispaniæ. Concilium Toletanum septimum circa an. DCXLVII. regnante in Graves. Hist. Tom. III.

^d Aguirre Notis elucidarunt. Concilium Toletanum decimum quartum sub eodem Ervigo Hispaniarum Rege anno DCCLXXXV. convocatum est, ut, juxta Leonis II. Summi Pontificis litteras, sexta Synodus, in qua Monothelitarum Hæresis damnata fuerat, per totam Hispaniam, & Galliam Gothicam reciperetur, quod & factum est. Extant hanc in rem Canones istius Concilii duodecim cum Notis Loaisa tom. VI. Concil. & apud Cardinalem ^d Aguirre tom. II. Concil. Hispanæ. Concilium Toletanum decimum quintum anno DCCLXXXVIII. celebratum est ad explicandas quasdam propositiones ab Episcopis Hispaniaæ prolatas, & Benedicto II. Romano Pontifici suscepatas. Episcopi enim Hispaniaæ de divinis Personis loquentes dixerant: *Voluntas genuit voluntatem*, ac præterea: *Sapientia genuit Sapientiam*. Affirmaverant etiam iudicem Episcopi, *Tres in Christo Dei Filio esse substantias*. Cum igitur haec propositiones Benedictum II. Pontificem Maximum offendissent, Hispaniaæ Episcopi in hoc Concilio mentem suam uberiori explicarunt, & quo modo sensu Catholicæ, & abique ullo errore ejusmodi propositiones a se ipsis assertas fuissent, ostendunt. In fine hujus Concilii Patres de juramento Ervigo Regi Hispaniarum præstito in tutelam ejus filiorum agunt, ut videre est apud Loaisam, & Cardinalem ^d Aguirre, qui Acta illius Concilii exhibent, Notisque illustrant. Concilium Toletanum decimum sextum coactum est anno DCCLXXXI. in eo Episcopi Sibertum Toletanum Antistitem, ob perjurium, & seditionem adversus Regem, gradu dejecerunt, & uberiori explicarunt propositiones circa Divinas Personas in Concilio Toletano XV. discussas. Legi possunt Acta Synodalia, & tredecim Canones illius Concilii circa disciplinam Ecclesiasticam & reformationem morum apud Loaisam, & Cardinalem ^d Aguirre.

Concilium Toletanum decimum septimum sub Egica Hispaniarum Rege congregatum est anno DCXCIV. in quo, post firmatam sanctæ fidei Regulam, editi sunt Canones octo, quos Loaisa, & Cardinalis ^d Aguirre Notis explanarunt.

(a) Melius utique notasset Patres LXVI. Concilio huic interfuisse, cum numerum eundem signent duæ veteres Hispanicae Conciliorum collectiones apud Baluzium Miscellan. tom. VII. pag. 61. & eundem pariter ferat epistola Cæsarii Abbatis in Monteserrato ab eodem relatâ ibidem. Eodem pariter mendo acta edita signant diem nonam Decembris, quem iidem MSS. Codd. emendant nonas Decembris.

D. Hæc sunt igitur omnia Concilia Nationalia, quæ septimo saeculo in rem disciplinæ Ecclesiasticae fuerunt celebrata?

M. His Conciliis Nationalibus, quæ hactenus recentimus, & in quibus sancta & instaurata est Ecclesiæ disciplina, alia quædam addi posunt, quæ hic indicasse abunde sufficiet. In Lusitania Emeritense Concilium anno DCXI. habitum est, extantque symbolum, & viginti tres Canones in eo conditi. Notisque illustrati a Garsia Loaisa tom. VI. Concil. & a Cardinali ^d Aguir-

re tomo II. Concil. Hispaniaæ. In Anglia anno DCCLXXXII. celebratum est Concilium Herefordiensis, Praefide Theodooro Cantuariensi Episcopo, & in eo decem de Ecclesiæ disciplina sancta sunt capita, de quibus legi potest Venerabilis Beda lib. IV. Hist. Eccl. Anglorum cap. V. In Lusitania anno DCCLXXV. convocatum est Concilium Bracarense IV. in quo de fide & disciplina novem editi sunt Canones, cum Notis Loaisa tomo VI. Concil. & Card. ^d Aguirre tomo II. Concil. Hispaniaæ. Denique, in Hispania Concilium Caesar Augustanum sub Egica Rege peractum est anno DCXCII. in eo quinque de disciplina Ecclesiastica edita sunt leges, quæ Notis illustratae legi possunt apud Loaisam, & Cardinalem ^d Aguirre locis mox laudatis. Habes nunc reducta in Compendium omnia Concilia Nationalia, quæ septimo saeculo in Occidente fuerunt celebrata, & in quibus sancta est Ecclesiæ disciplina. Progrediamur modo ad Concilia, quæ tam in Oriente, quam in Occidente, octavo saeculo fuerunt celebrata.

D. In præcedenti Colloquio Historiam describendo Iconoclastarum Hæresis, quæ octavo saeculo Ecclesiæ plurimum infestavit, memini, televiter mentionem fecisse septimæ Synodi, quæ dicitur Nicæna secunda, in qua prædicta illa Hæresis confixa est. Nunc, ut plenam istius Synodi notitiam assequi possim, singula, quæ ad illam spectant, capita investigandi incessit animum cupido, & in primis scire velim, a quo convocata sit haec Synodus septima generalis, quisve ei præfuerit?

M. Mortuo Paulo Episcopo Constantinopolitano, Tarasius vir apprime Catholicus in ejus locum suffectus est anno DCCLXXXV. qui tamen hanc dignitatem admittere noluit, nisi postquam Imperatores, Constantinus videlicet adhuc puer, & Irene ejus Mater Concilii Ecumenici convocationem promisissent. Quapropter Imperatores, ut promissis starent, scriperunt ad Hadrianum Papam litteras, ad eumque miserunt Constantium Episcopum Leontinum in Sicilia, & Dorotheum Episcopum Neapolitanum in Campania, rogaruntque, ut Concilium generale convocaret, & illud sua cohonestaret præsentia, vel, si venire haud posset, mitteret legatos, qui locum ipsius in eo tenerent. Tarasius etiam Patriarcha Constantinopolitanus litteras ad Hadrianum Summum Pontificem per Leonem Presbyterum suum direxit. Quibus acceptis litteris, Hadrianus Imperatores impense laudavit, ad eos scriptis Epistolam, quæ extat Actione 2. septimæ Synodi generalis, missaque legatos suos Petrum scilicet Archipresbyterum Ecclesiæ Sancti Petri, & Petrum S. Sabæ Abbatem ut Synodo generali ejus nomine præfessent. Patriarchæ Orientis, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus jugo Saracenorum id tempore oppressi Synodo septimæ generali interesse quidem non potuerunt, miserunt tamen legatos, qui trium Patriarchalium Sedium nomine ei adcesserunt, & Ecclesiarum Ægypti, Orientis, & Palæstinæ fidem, atque antiquam de Sanctarum Imaginum cultu traditionem testarentur. Politianus Patriarcha Alexandrinus Legatum suum misit

Thomam Monachum, & Presbyterum, Theodosius vero Patriarcha Antiochenus, & Elias Patriarcha Hierosolymitanus Joannem Monachum Presbyterum, & Syncellum ea legatione ornaverunt. Rebus sic constitutis, septima Synodus generalis, quam ad petitionem Constantini Imperatoris, & Irene ejus Matri Hadrianus Romanus Pontifex indixerat, cepta est Constantinopoli die decima septima mensis Augusti anni DCCLXXXVI. Sed Prætoriani milites Iconoclastarum hæresi infecti, tumultuantes nudatis gladiis impetus in Patriarcham, & in alios Episcopos fecerunt, quibus retrundendis cum pares non essent Imperatores, consultius visum est cedere temporis, & in annum sequentem Synodi celebrationem rejicere. Finixerunt itaque Imperatores exercitum adversus Saracenos mittere, in quo milites illi Prætoriani, qui celebrationi Concilii intercesserant, profecti, & ab exercitu circumventi, atque spoliati, in suas Provincias ac domos sese recipere jussi sunt. Alio demum parato exercitu, & delectis aliis fidissimis Ducibus, miserunt Imperatores anno DCCLXXXVII. per omnes Imperii Regiones Legatos, qui universos Episcopos Nicænam Bythinia Urbem ad Synodum invitarent. Nicænam itaque convenierunt trecenti quinquaginta Episcopi, Sedis Apostolicæ, & trium Sedium Patriarchalium Orientis Legati, qui una cum Tarasio Imperialis Urbs Patriarcha Constantinopolis substituerant, ad Synodum se contulerunt, multique etiam adfuerunt Archimandritæ, Monachi, & Proceres. Cepta est septima Synodus generalis, dicta ob locum, in quo celebrata fuit, Nicæna secunda, die xxiv. mensis Septembris anni DCCLXXXVII. Legatos Hadriani Summi Pontificis huic Synodo præfuisse, certissime colligitur ex illius Actis, in quibus Legati Romani Pontificis ante Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, & ante Legatos trium Orientis Patriarchalium Sedium primo loco nominantur. Ex quibus septimæ Synodi generalis Actis evidenter resellitur Photius, qui in libro de septimæ Synodi primum Præsidem septimæ Synodi generalis Tarasium fecerit, cum ipsem eodem spiritu Schismatico actus aliarum Synodorum Ecumenicarum Præsidem primum faciat Episcopum Constantinopolitanum, quod ex indubitate Ecclesiasticis Monumentis aperte falsi convincitur. (a)

(a) Animadversione dignum censeo id quod a nemine hucusque adnotatum est; P. Montfaucon in sua Bibliotheca Coisliniana Cod. 34. evulgasse monumentum quoddam, vel, si malueris, Epistolam, ita enim inscribitur in titulo Græco Latinoque: *Synodi Nicæna secunde ad ss. Alexandrinorum Ecclesiam de Sacrarum Imaginum cultu restituta*. Hujus vero partem priorem ad Nicænam hanc pertinere ita judicat idem Scriptor doctissimus, ut alteram partem additiam censeat tanquam, ac tunc scriptam, cum anno 842. sub Michaeli, & Theodora celebrata est Synodus Constantinopoli,

Antiocheni, & Hierosolymitani; eam denique ceteri omnes Episcopi sua subscriptione muniverunt. In quinta Actione ostensum est, Iconoclastas suam Hæresim de abolendo Sanctorum Imaginum usu, & cultu haufisse a Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis, & Manichæis. In sexta Actione Patres prolixam inierunt disputationem, qua Hæreticorum Iconomachorum, qui in Conciliabulo Constantinopolitano Sanctorum Imaginum usum, & cultum damnaverant, discussa, & critica sunt argumenta, illiusque Conciliabulo hæretica definitio per singula capita in integrum consutata est. In septima Actione sex precedentia Concilia Ecumenica confirmata sunt, decretumque, Sanctis Imaginibus honorariam adorationem, non autem veram latram exhibendam esse, & hi omnes Anathemate percussi sunt, qui eas frangere auderent. Hanc pro afferendo Imaginum cultu definitionem his verbis emisit septima Synodus generalis: *Sequentes divinitus inspiratum Sanctorum Patrum nostrorum Magisterium, & Catholice traditionem Ecclesie (nam Spiritus Sancti banc esse novimus, qui nimur in ipsa inhabitare) definitum in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram preciosam ac vivificam Crucis, ita Venerabiles ac Sanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus, & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus, & viis, tam videlicet Imaginem Domini Dei, & Salvatoris Nostri Iesu Christi, quam intemerata Domine nostre Sancte Dei genitricis, honorabilemque Angelorum, & omnium Sanctorum simul almorum virorum. Quanto enim frequenter per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplant, atacrius eriguntur ad primi vivorum eorum memoriam, & desiderio, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latram, quæ secundum fidem est, queque solam divinam naturam decet, impariendam; ita, ut istis, sicuti figura pretiosa ac vivifica Crucis, & Sancti Evangelii, & reliquis sacris monumentis, incensorum, & luminum oblatio ad hominem honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum antiquis pie consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primi vivum transi, & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio Sancte Catholice Ecclesie, quæ a finibus usque ad fines terre suscepit Evangelium.*

D. Hæc fidei definitio de cultu Sanctis Imaginibus exhibendo, facta in septima Synodo generali, sicutne recepta in universa Ecclesia?

M. Hadrianus Summus Pontifex, postquam septimam Synodum generalem sua auctoritate confirmasset, illius Acta in lingua latinam versarunt, in Gallias, ubi, cum Episcopi certa videbant veneracionis signa Imaginibus adscibit solito honorificentiora, & quæ hac tenus in suis Ecclesiis erant inusitata, illico reclamarunt adversus Orientales, ac Synodum abillis celebratam damnarunt. Id egit potissimum Carolus Magnus Galliarum Rex quatuor famosis illis libris, qui dicuntur Carolini, quos vel ipse edidit, vel sub augusto suo nomine publicari permisit circa annum DCCXC.

Cum

Cum igitur duæ istæ adductæ responsiones difficultati propositæ non faciant satis, duas alias proferam, quæ viris doctis probantur. In primis dici potest, septimam Synodum, seu Nicænam secundam a Patribus Francofordiensibus fuisse damnatam, quia decepti errore facti, putaverunt, sicut videbant est in Canone secundo mox citato, adorationem latræ, quæ soli Deo debetur, a Nicæna secunda Synodo fuisse Imaginibus decretam, eosque anathemate fuisse perculfos, qui secus sentirent. Hinc Patres Francofordienses in eo facti errore versantes, Synodum Nicænam (cui totius pene Occidentis suffragia deerant, & quam Hadrianus Papa neccum solemni ritu, missa videlicet ad universalis Ecclesiam, & ad Imperatores Epistola confirmaverat) pro Ecumenica non agnoscabant, sed tantum pro Nationali Græcorum Synodo, quam proinde a se damnari posse existimarent, ut aperte declarat Auctor librorum, qui dicuntur Carolini, cap. 13. libri quarti his verbis: *Insolenti præterea desiderio tam isti (seu Græci) quam eorum predecessores, Synodum ambiant agitare, eamque sex Venerabilibus Synodis associare, & septimæ Synodi nuncupatione censere. Secundo, dici potest, sicut jam observavimus in precedentibus Colloquio, altercationem, quæ existit inter Patres Francofordienses, & Nicænam secundam, non fuisse circa dogma fidei, hoc est, circa cultum, qui deferendus est Sanctis Imaginibus, sed dumtaxat circa modum cultus, id est, circa disciplinam, quæ observari debebat in cultu Imaginum. At enim Patres Concilii Francofordiensis non negabant, cultum aliquem Sanctis Imaginibus esse exhibendum, sed solum admittere renuebant cultum illum Imaginum, qui nondum in Galliis inoleverat, & quem tamen secunda Nicæna Synodus præscripterat multis signis exterioribus insignitum, puta luminarii coram accensis, thymiamatibus incensis, deosculationibus, capitis inflexionibus &c. Hunc, inquam, modum colendi Imagines a secunda Nicæna Synodo præscriptum admittere solebant Patres Francofordienses, tum quia apud suas Ecclesiæ alia vigebat disciplina; tum quia etiam his ritibus, seu externis honorariis signis, solus Deus apud ipsos id ætatis colebatur; tum quia denique, formidabant, ne hic modus colendi Imagines a Synodo Nicæna secunda præfixus, progressu temporis supersticiosus & periculosus evaderet propter abusum imperitorum, quibus prabere poterat occasionem errandi. Unde pater, Episcopus Concilii Francofordiensis penitus variam disciplinam, non autem quoad ipsum fidei dogma, cum secunda Nicæna Synodo, quæ est septima generalis, pugnasse. Hanc fuisse genuinam Patrum Concilii Francofordiensis mentem, magis liquebit ex his, quæ dicturus sum in Colloquio quarto in Historiam noni Ecclesie saeculi, ubi agendo de Concilio Parisiensis sub Ludovico Pio in causa Imaginum anno DCCXXV. convocato, explicabo cum doctissimo Mabillonio dærinam Gallorum circa cultum Imaginum.*

D. Septima Synodus generalis, seu Nicæna secunda, præter illas septem Actions, seu Sessiones, quibus proligavit Iconomachorum Hæretices.

Graves Hist. Tom. III.

sim, ediditne aliquot Canones? M. Septima Synodus generalis ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam, quæ, grasse Ico-noclastarum Hæreti, collapa fuerat, viginti duos edidit Canones, quorum primus confirmat omnes Canones cum Apostolicos, tum a sex prioribus universalibus Conciliis, & a localibus Synodis conditos. Hic tamen Canon non est approbatus ab Ecclesia Romana, quæ non omnes Canones Apostolicos, sed tantum quinquaginta ex eis agnoscit & recipit, nec tres Concilii Constantino-politani primi Canones, nec Chalcedonensis Concilii vicesimum octavum, nec Synodi Trullanæ Canones unquam probavit. Canon secundus septimæ Synodi generalis statuit, ut nemo deinceps in Epilopum ordinetur, nisi Psalterium bene noverit, & Sacros Canones, Evangelium, Epistles Sancti Pauli, & ad omnem Scripturam legendam, parato, promptoque sit animo. Canon tertius omnem electionem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi a Principibus factam rescindit & irritam manere declarat. Canon IV. vetat Episcopis, ne aurum vel argentum, aut quævis munera alia a Clericis, vel Monachis sibi subditis exigant. Canon V. punit eos, qui facultates suas vel integras, vel ipsarum partem, Ecclesia dererant, pro qua fuerant ordinati, & propterea insuperbientes pauperibus, ob virtutem a Spiritu Sancto electis insultabant, jubetque eos ultimum sui ordinis locum tenere; si vero superbiae speciem dare pergent, inflicta quoque poena eos corrigi & emendari decernit. Canon VI. Synodos Provinciales, quæ bis in anno fieri decreverat Nicænum, semel saltem in anno celebrari præcipit, Præcipit vero, qui id prohibuerint, communione privat. Canon VII. jubet, ut Sanctorum Reliquia in Templis collocentur, & deponendum esse declarat Episcopum, qui deinceps Templa absque Sanctis Reliquiis consecraverit. Canon VIII. definit, Judæos, qui, suscepto baptismo, Christianos se fingunt, & clam ju-daiant, non esse in Ecclesiam suscipiendos, nec eorum pueros baptizandos, nec servos emendatos. Hic Canon ab Ecclesia Romana non est approbatus. Canon IX. districte prohibet, ne Hæreticorum scripta, seu libri contra Sanctas Imagines editi, retineantur. Canon X. Clericos illos deponit, qui propria relata Parochia, ad aliam migrant. Canon XI. servari præcipit Canonem vigesimum sextum Concilii Chalcedonensis de instituto Economo in singulis Ecclesiis ac Monasteriis. Canon XII. Episcopos & Abbates, suæ Ecclesiæ, vel Monasterii alienantes, aut dissimilantes bona, deponi mandat. Canon XIII. Monasteria Deo dicata, Sæcularium habitacula, seu domicilia fieri vetat. Canon XIV. prohibet, ne hi, qui a pueritia Clericali tonsura sunt insigniti, & Lectores ab Episcopo neccum sunt ordinati, in Missa & Sactis Officiis ad Ambonem legant, eriam in Monasteriis. Canon XV. Clericum duabus in Ecclesiis collocari, seu plura possidere beneficia inhibet. Canon XVI. Episcopos, Clericos, qui se pretiosis & serica texitura variatis ornant vestibus, corrigi jubet &

D 3 pu-